



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 118. Quia non novi hominem. v. 72.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

non vult coniux, veniat ancilla. Vere Homo ista scribens aperta erat porta inferni. O humanæ infirmitatis exemplum, qui hoc scripsit fuit Monachus, fuit Fr. Martinus &c, qui se igitur existimat stare, videat ne cadat, quis enim ad tantum lapsum Petri, Lutheri, calvini &c humiliter & cum sui diffidentia non incedat? quis bonis fidat affectibus? O Iesu ne me unquam verbis aut factis te negare permittas, vel mentiendo & multo minus iurando sine veritate, reverentia & necessitate.

§. 118. *Quia non novi hominem, v. 72.*

Petre, Quid dicis? non novisti Iesum magistrum tuum ad quem te adduxit primum frater tuus Andreas, &c qui è mari vocavit te postea cum fratre tuo Andrea piscantem, & quem relictis omnibus secutus es? & à quo in piscatorem hominem es promorus. non novisti magistrum cum quo comedebas panem azymum triennio & agnum paschalem, ad mensam eius accinctus, baculum in manu tua? Quis tibi lavit cæna in ultima pedes? nonne ille magister tuus? qui & tibi renitenti dixit, si non laveris te non habebis partem mecum? & tu adhæc, non solum obtulisti ei pedes sed & manus & caput? an non post cænam te sumpsit secum in hortum, an non ibidem obdormisti ipso orante, & rediens ad te tertio, ut vigilares etiam admonuit, quia hostis appropinquaret? an non adventante eodem hoste gladium extraxisti in eius defensionem? dic quæso, mi Petre, quam ob causam venisti huc in atrium Pontificis? quare tam diu hic moraris, in frigore, inter turbas militum, nonne ut fidem datam Christo servares; & videres finem eius captivitatis? Cur igitur modo frangis fidem, & promissionis quasi oblitus, dicis: *Quia non novi hominem* Magistrum & Dominum meum, & hoc cum iuramento! ad quam insaniam venisti? ut quod sole clarius patet & probe nosti, neges constanter & aperte contra conscientiam propriam, contra fidem datam, contra scientiam & notitiam publicam, quid dicis? taces, Petre dicam ego. Times, & quid times? carcerem, mortem, & unde ea times? non à iudicibus examinatus, sed ab ancillis interrogatus negas Iesum, negas te illum nosse, te illius esse discipulum, nec simpliciter sed cum iuramento. erit cum eum coram Nerone & toto mundo intrepide confiteberis, & timorem illum sanctè damnabis.

Nunc ad me converto me, Domine, & aio visis his quæ evenerunt Petro: Noverim te mi Iesu & noverim me, nec aliquid cupiam nisi te, oderim me & amem te; humilem me, exaltem te, nihil cogitem nisi te; persequar me, sequar te; timeam mihi, timeam te; diffidam mihi, fidam in te, & in nullo afficiar nisi in te, ut in æternum fruatur te.

§. 119. *Et post pusillum accesserunt qui stabant & dixerunt Petro, v. 73.*

Dum Petrus ita palam loqueretur ad ancillam in atrio, in præsentia